



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel  
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo  
Distribvta**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§. 1. Superbia auaritiæ amica, & inimica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)



subtrahit, quæ ipse calcabat, vel quæ præ-  
posterè adorabat; ita quisquis videt alterum  
ad inopiam redactum, non illicò iudicare  
debet, id eum suis peccatis meruisse. Spolia-  
tus est & Iob: num meruit spoliari? Nequa-  
quam, sed spoliatus est, vt virtutibus ditior  
fieret. Ita & de alio, & nisi tibi malè con-  
scijs es, etiam de te ipso cogita. *Arca exi-* S. Augusti  
*nanita est auro, cor plenum est fide. Foris pau-* loc. cit,  
*per es, sed intus diues es. Diuitias tecum por-*  
*tas, quas non amitteres, etiamsi de naufragio*  
*nudus exires.*

CAPVT VII.

*Ipsa Vitia diuitijs pariter, & diuitibus ob-*  
*esse: ac proinde vel hinc opes, tamquam*  
*spinas & laqueos, habendas, immò*  
*abijciendas esse.*

§. I.

*Superbia auaritia amica, & inimica.*

**N**terim verum est, auaritiam aua-  
ritiæ ob stare; vsq; adeò non mo-  
dò reliqua illi vitia aduersantur,  
verùm etiam ipsa se ipsam affligit, dum me-  
retur mœsta perdere, quod iniquè corrasit.  
Vt autem plures habeat tortores, omnia

L 3

ferè



ferè etiam reliqua vitia illam impetunt; im-  
 mò acuunt, vt in acerbiorem illius crucia-  
 tum diuitias destruant. Superbia, vt ha-  
 beat, vnde se iactet, vnde pretiosè vestiatur,  
 vnde dapsiliter epuletur, vnde habitet ma-  
 gnificè, vnde parasitorum & adulatorum  
 turbas alat, vnde totas pompis aulas imple-  
 at, auara est. Hac ancilla vtitur, hanc vt fi-  
 liam adhibet pecuniarum collectricem; im-  
 mò, ne quidquam monstro desit, hanc co-  
 lit vt genitricem. Faciunt enim diuitiæ, si-  
 ne moderatione amatae & coaceruatae, su-  
 perbos; & à superbis, per vices nunc eumu-  
 lantur, nunc dissipantur. Hæc in vitijs ro-  
 ta est: vt se vicissim generant, ita vicissim  
 quoq; eneruant. Quidam auari sunt, vt possint  
 superbire; & rursus omnia dispergunt,  
 vt superbiant. Neque enim magnifici illi  
 sumtus fiunt, sine profusione pecuniarum.  
 Vnde tam grauis est inter hanc matrem &  
 filiam pugna. Superbia dicit, Eme tibi titu-  
 los, eme honorem, eme nobilitatem; Aua-  
 ritia reclamatur, & ait, Tantam pro vno no-  
 mine Nobilis, Baronis, Comitum pecuniam  
 expendes? dabis trecentos, dabis quingen-  
 tos, dabis ter aut quatuor mille Philippæos,  
 vt tantillum ceræ & chartæ Pergamænæ re-  
 cipiase



cipias? Apud quosdam vincit Auaritia, apud alios Superbia dominatur. Hæc ait, Instrue conuiuium; inuitandus est hic, & ille, & ille, qui scire debent, quantum possis: At illa respondet, Cras, finitis epulis, quid habebis? veniet lanio, aderit caupo, pulsabit ostium, qui aues, qui pisces, qui obsonia volet solui. Superbia non vult tolerare vestes attritas, mittit, qui sericum afferat, qui purpuram venalem inquirat. Auaritia ait: Etiam centones arcent frigus; adhuc vno anno tunica facilè durabit; melius est, non profiteri vestibis pretiosis diuitias; præstat marsupium, quàm pallium auro fulgere. Et mille talia. Quantum feminæ pecuniarum perdant in mundo muliebri, in libro de Monstris ostendi; quantum impendant filij ac filia in superbiam, experiuntur miseri parentes. Vno verbo, quidquid reclamet Auaritia, Superbia vult esse sumtuosa; & superbus

*Illecebris capitur, nimiumq; elatus auaro  
Pascitur intuitu.*

§. II.

*Prodigalitas auaritia aduersa.*

Trahit plerumque Superbia secum comitem prodigalitem: prodigalitas autem

L 4

diuitijs

Claud:  
lib. 1. in  
Ruffin.